CENSVRA
SACRÆ FACVLTATIS
Theologiæ Parisiensis, contra doctrinam de REGVM parricidiis, quæ continetur in libro, cui titulus *Responsio ad Anticotonum.*

ITEM

ANALYSIS SIVE TRACTATUS super præcedentem censuram, à quibusdam eiusdem sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis.

M. DC. XII.

CENSVRA SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS, CONTRA DOCTRINAM de REGVM parricidiis, quæ continetur in libro, cui titulus *Responsio ad Anticotonum*.

ANNO Domini millesimo sexcentesimo vndecimo, die prima Februarij, sacra Theologiæ facultas Parisiensis, post solennem Missam de sancto Spiritu, sua ordinaria celebrauit comitia in Aula Collegij Sorbonę, super sequentib. articulis. Primò, recognita & obsignata est conclusio facta die quarta Ianuarij. Secundò, Dominus Syndicus retulit, quendam ex Patribus Societatis Iesu, nuper euulgasse Apologiam quæ hæc nominatim habet, *Quodammodo desiderandum fuisse vt Rauaillacus legisset Marianam*, quoniam Mariana disertè & expresè docet, principem legitimum non posse occidi ab vllo particulari, sua priuata authoritate: hácque in re nihil dicere, quod non congruat Synodo Constantiensi, & decretis Sorbonæ. Cuius quidem locutionis ambiguitate, prædictus author Apologiæ nititur persuadere, sententiam Marianæ aliqua in re cum de-

cretis ſcholæ Pariſienſis , aduerſus Regum & Principum parricidas conuenire : maximè autem quod nonnulli , ex honorandis magiſtris, ipſa facultate inconſulta, & contra moré antè vſitatum,in fronte eiuſdem Apologiæ teſtentur , ſe nihil quicquam reperiſſe in prædicta Apologia, quod non ſit maximè & peculiariter conforme doctrinæ totius facultatis Pariſienſis: vnde proculdubio continget,vt nó modò Galli,verùm etiam exteræ nationes,quę illam Apologiam legerint , arbitrentur Scholam Pariſienſem etiam Concilium Conſtantienſe reiicere,ſicut reiicitur à Mariana: & cóſequenter licitum eſſe priuatis perſonis, propria authoritate , & quæſito colore tyrannidis ſceleratas manus ſacris regum perſonis inferre. Quocirca idem Dominus ſyndicus rogauit facultatem., quatenus prouideret , ne ex eiuſmodi aſſertione decretum ſcholæ Pariſienſis ſuperiore anno,ad normam Conſtantienſis ſynodi , pro Regum & Principum ſalute conſtitutum,penitus euerteretur. Quibus auditis,ſacratiſſima Theologiæ Facultas , decimá quintam ſeſſionem Concilij Conſtantienſis , ſuáſq; concluſiones cum prædicta Apologia & libro Iohannis Marianæ, diligenter contulit ac ſubductis omnium Magiſtrorum rationib. PRIMÒ cenſuit,authorem Apologiæ hæc non ſatis conſideratè ſcripſiſſe , Nempe *Quodammodo deſiderandum fuiſſe,vt Rauaillacus legiſſet Marianam* , quoniam Mariana diſertè & expreſsè docet, Principem legitimum non poſſe occidi

ab

ab vllo particulari sua priuata authoritate: hácque in re nihil dicere, quod non congruat synodo Constantiensi & decretis Sorbonæ. SECVNDÒ, Eadem facultas declarauit, Marianam nullo modo vel cum synodo Constantiensi, vel cum suis conclusionibus hac in parte conuenire. Neque propterea tamen, se vllam notam prædictæ Apologiæ hîc inurere, sed tantummodo mentem suam de præfato Concilio, quod repudiatur à Mariana, propriisque decretis, velle aperire. TERTIÒ, Omnibus & singulis magistris Theologiæ prohibuit, ne deinceps publicè attestentur doctrinam alicuius libri, esse conformem doctrinæ facultatis Theologiæ, antequam super eâ rê facultatem ipsam consuluerint, eiúsque consensum in publicis comitiis legitimè imperauerint. QVARTÒ, ne iidem Magistri in suis approbationibus nomen Sorbonæ dehinc vsurpent, nisi eorum attestatio publicis etiam comitiis, vt moris est, disertè auctôrata & comprobata fuerit.

STATVS QVÆSTIONIS IN SORBONA AGITATÆ

Anno Domini millesimo sexcentesimo vndecimo, die prima Februarij.

NIMIRVM, *An Mariana in suo de Rege & Institutione Regia libro, aliqua in re cum Concilio Constantiensi & Decretis Sorbonæ conueniat.*

Author Apologiæ aduersus Anticotonum, stat à parte affirmante pag. 43. editionis Parisiensis, & sic inquit: *Quodammodo optandum esset, vt Rauaillacus legisset Marianam: disertè enim & expressè Mariana docet, Principem legitimum non posse occidi à priuato priuata authoritate: nihil in eo dicens nisi quod habetur in Concilio Constantiensi, & decretis Sorbonæ: Non quod non sit hallucinatus exinde, cùm iudicium publicum approbatione Doctorum circumscripsit.*

Idem Author firmando suo dicto, Apologiam suam à quatuor Doctoribus Facultatis Theologiæ Parisiensis curauit approbandam, qui quidem inscia inconsultáque eadem Facultate, & contra morem ab omni æuo in ipsa vsitatum, testantur se nihil in eadem Apologia reperisse *Quod non sit maximè conforme doctrinæ Vniuersitatum orbis Christiani, & nominatim*

minatim Facultatis Theologiæ Parisiensis. Testimonium hercle audax,& quod excedit penitus authoritatem testantium,qui nomen Sorbonę in suo testimonio vsurparunt,in hoc vt populo persuaderent testimonium illud à tota eadem Facultate comprobatum.

Qui partem contrariam tuentur aiunt 1. Facultatem Theologiæ Parisiensem & iure diuino & naturali obligatam decus suum sartum tectum conseruare , omni doctrinæ erroneæ sese opponere, de ea populum monere : atque ad hoc ipsum obligatam duplici nomine, cùm tegitur, coloratur, aut euulgatur eiusmodi doctrina sub nomine & authoritate eiusdem Facultatis , prout videntur velle dicta propositione & testimonio,quod asserit. *Quodammodo optandum vt Rauaillacus legisset Marianam : & Marianam in quibusdam nihil nisi quod in Concilio Constantiensi & decretis Sorbonæ habetur pronuntiare.* Manifestum tamen est Marianam reiicere non tantùm authoritatem , sed & euertere doctrinam salutarem Concilij Constantiensis,super quod decretum Sorbonæ 4.Iunij 1610.Singulariter fundatum: Neque enim penes Facultatem Theologiæ fuit pernitiosam hanc & diabolicam doctrinam hæreticam declarare , nisi vt eiusdem Concilij Constantiensis. Quare Concilio destructo doctrinâ Marianæ , supradictum Sorbonæ decretum stare nullo modo potest : & per consequens vita Regum & Principum sicariorum arbitrio manet exposita. Secundò negatur

Marianam vlla in re conuenire neque cum Concilio Constantiensi, neque cum Sorbonæ decretis, quæ docent absolutè nulli priuato quouis prætextu licitum occidere: contrà Mariana priuatis priuata authoritate id licere dicit quatuor de causis. 1. Cùm conuentus publici non suppetit facultas. 2. Cùm superioris, sententia qua declaretur aut condemnetur Tyrannus, haberi non potest. 3. Cùm habetur votum atque intentio publica. 4. Cùm peculiari aliquo iureiurando amicitiæ alicuius siue confœderationis confirmatiuo non est obstrictio. Tertiò asseritur doctrinam Marianæ etiam in locis quàm maximè fauentibus,quæ seligi possent ad defensionem Apologiæ prædictæ, nonnisi excusationi & iustificationi Rauaillaci, Clementis,Barrerij, Castelli, Ridecouij, atque aliorum omnium parricidarum, qui reipsa siue fixo proposito in vitam principum nostrorum attentarunt, inseruire posse.

Qui propositionem Authoris Apologiæ tuentur,allegant ex Mariana duos locos, quos suæ opinioni fauere iudicant. Primus est capite sexto primi libri p. 60. editionis Moguntinæ, *Ita*, inquit Mariana, *facti quæstio in controuersia est, quis meritò tyrannus habeatur: iuris in aperto, fas fore tyrannum perimere. Neque est periculum vt multi eo exemplo in Principum vitam sæuiant quasi tyranni sint. Neque enim id in cuiusquam priuati arbitrio ponimus: non in multorum, nisi publica vox populi*

populi adſit, viri eruditi & graues in conſilium adhibeantur. Præclarè cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines forti pectore inuenirentur.&c.

Quem locum attendit author Apologiæ aduerſus Anticotonum, vti patet ex his ipſius verbis ipſiſſimis, p. 44. editionis Pariſienſis: *Non quòd*, inquit, *Mariana non ſit hallucinatus cùm iudicium publicum approbatione doctorum circumſcripſit*, &c.

Hîc obſeruandum, primum hunc locum concluſionis inſtar eſſe eorum omnium, quæ capite ſexto tractat Mariana, & duas partes cótinere, quarum prima pertinet ad quæſtionem iuris, quod adeo euidens & manifeſtum ait, vt in dubium nullo pacto poſſit reuocari. Idcirco de eo planè ſilet hoc loco, niſi quod quæſtionem iuris vocat, *Fas eſſe Tyrannum perimere.* Atque vehementer conqueritur quòd multi Clementes, multi Barrerij, multi Caſtelli & Rauaillaci non reperiantur, *Præclarè*, inquit, *cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines forti pectore inuenirentur pro libertate patriæ, vitæ contemptores & ſalutis: ſed pleroſque incolumitatis cupiditas retinet magnis ſæpe conatibus aduerſa.*

Secunda pars eiuſdem loci quæſtionem facti explicat. Quæſtio autem facti Marianæ eſt, *Declaratio ſiue iudicium quo Princeps declaratur Tyrannus.* Atque hîc tria docet, Primò, neque vnius eſſe, neque multorum priuatorum declarare, aut ſententiam, qua Tyran-

nus condemnetur ferre. Secundò, vocem publicam populi iudicij loco esse ad declarádum Principem legitimè conuictum tyrannidis. Rem vtique falsissimam & seditiosissimam: Adde quod populus est Bellua multorum capitum, quæ seditiosâ aliquâ oratione inflammata, illico ad arma cõuerteret ad necem Principum etiam optimorum : aut secundùm detestanda Marianæ præcepta capit. 7. ad venena confugeret. Tertiò, Mariana asserit, deficiente voce publica populi, ad consilium doctorum virorum & grauium recurrendum. Quæ sententia falsissima & seditiosissima est, & quę insuper manifestam inuoluit contradictionem. Marianam meminisse oportuit sese hoc ipsomet loco disertissimè docuisse, declarationem seu iudicium quo Tyrannus condemnetur, neque penes vnum, neque penes multos priuatos esse: nihilominus tamen illud viris doctis grauibúsque iam defert: Verùm si Saluator noster Lucæ c. 12. cùm à quodam importunè rogaretur in hoc vt proprio ipsius fratri successionis atque hæreditatis communis, ad ipsos à patre deuolutæ, partitionem imperaret, respódit in hęc verba, *Heus tu, quis me vobis iudicem aut partitorem præfecit possessionum terrenarum?* Quantò minus licet doctis istis grauibúsque viris, quicunque tandem illi sint, declarare Principes Tyrannos, & furori sicariorum exponere? vnde hæc ipsis authoritas?

Quare in hoc primo loco Mariana errauit non in vna re tantùm, sed & in multis maximi

momenti

momenti ad salutem publicam, vitámque Regum & Principum pertinentibus. Adde quod declarationem & executionem defert, hoc est, permittit priuatis declarare & perimere Tyrannos: Et consequenter non tantùm authoritatem, sed & doctrinam & definitionē Concilij Constantiensis, & decretorum Sorbonæ destruit: Ea propter nullatenus cum ipsis conuenit, quicquid tandem Author Apologiæ terminis hisce dicat ambiguis, *In eo nihil dicens nisi quod in Concilio Constantiensi, & decretis Sorbonæ habetur: Non quod non hallucinatus sit cùm circumscripsit*, &c.

Atque hic Lectorem rogamus obseruet, an quicquam in primo illo loco habeatur, quo execrandus Rauaillacus ab infando consilio potuerit auerti. Item, an hîc argumentum dicendi, Optandum esse vt legisset Marianam.

Locum alterum porrò examinemus, qui sub finem cap. 6. pag. 62. & 63. editionis Moguntinæ, in quo quidem Mariana hoc posito authoritatem Concilij Constantiensis nullum debere animis priuatorum, qui in vitam Principis vellent attentare, scrupulum ingerere, quia idem Concilium habet pro illegitimo. Exinde rationem affert qua Patres Concilij motos existimat, vt condemnarēt eos qui è vita tollere Tyrannos audēt, hæc ipsius verba sunt, *Propriè Iohannis Parui Parisiensis Theologi vanitatem improbare animus erat Patribus Ludouici Aurelianensis cædem à Iohanne Burgundo Lutetiæ factam, eo commento excusantis, qua-*

si tyrannum opprimere fas sit priuata authoritate. Quod non licet præsertim violato iuramento, vti ille fecit, neque expectata sententia superioris, si facultas suppetat videlicet: Sic enim Patres loquuntur.

Sed tantum abest vt prędictus locus dictum Authoris Apologiæ possit confirmare, vt contrà detestando parricidæ Rauaillaco posset inseruire purgando: atque ex eo manifestum euadit Marianam nullo pacto cum Concilio Cõstantiensi consentire, decretum ipsius siquidem adulterat, in hoc vt & doctrinam ipsius & definitionem euertat, hæc enim verba *si facultas suppetat videlicet obtinendæ sententiæ superioris*, in Actis Cõcilij non extant: nihilominus Mariana confidenter affirmat, *Patres Concilij sic loqui*: præterea concludit *A contrariis*, Concilium definiuisse fas esse priuatis priuatà authoritate Tyrannos perimere, in duplici casu: Primò, modò ne violetur vllum peculiare iuramentum, vt Dux Burgundiæ violauerat, post amicitiam cum Aurelianensi Duce initam sancitámque iureiurãdo speciali: secundò cùm facultas non suppetit sententiæ superioris habendæ, qua declaretur Tyrannus. En ipsius sententiam pag. 60. editionis Moguntinæ, *Roges quid faciendum, si publici conuentus facultas erit sublata: quod sæpè potest contingere. Par profectò, mea quidem sententia, iudicium erit, cùm Principis tyrannide oppressa republica: sublata ciuibus inter se conueniendi facultate voluntas non desit delendæ tyrannidis, scelera Principis manife-*

manifesta modò & intoleranda vindicandi, exitiales conatus comprimendi: vt si sacra patria pessundet, publicósque hostes in prouinciam attrahat: qui votis publicis fauens eum perimere tentarit, haudquaquam iniquè eum fecisse existimabo. Probationes autem has omnes syllogismo concludemus.

Quicunque Concilij Constantiensis constitutionem, cui decretum Sorbonæ singulariter innititur, adulterat, ille nullo modo neque cũ eodem Concilio, neque cum decreto Sorbonę consentit: Mariana Concilij Constantiensis constitutionem, cui decretum Sorbonæ singulariter innititur, adulterat: Mariana ergo neque cum Concilio Constantiensi, neque cum decreto Sorbonæ consentit.

Marianam autem adulterasse Concilium Constantiense, probatum suprà, cùm solennia hæc verba ostensum est in Actis Concilij non extare, *si facultas suppetat videlicet obtinendæ superioris sententiæ: sic enim Patres loquuntur.*

Quare vt disputatio hæc concludatur: Asserimus PRIMÒ, Authorem Apologiæ frustrà esse, dum ostendit Marianam docere disertè & expresse Principem legitimum à priuato priuata authoritate non posse interfici: Mariana siquidem docet & expresse priuatis priuata authoritate fas esse Principem prætextu Tyrãnidis perimere, cùm publici cõuentus facultas non datur: cùm superioris sententia qua Tyrannus declaretur haberi non potest, sub voto item atque intentione publica. Quæ o-

mnia ſeditioſa ſunt pronunciata.

SECVNDÒ item incaſſum idem Author aſſerit Marianam in quibuſdam cum Concilio Conſtantienſi,& decretis Sorbonę conſentire: Mariana ſiquidem diſertè & nominatim abiicit authoritatem, & adulterat decretum Concilij Conſtantienſis, ſine quo Sorbonæ Concluſio 4. Iun. 1610. ſtare nullo modo poteſt.

TERTIÒ, quia & ſunt qui perſuadere velint commodo ſenſu accipi poſſe Marianæ pronũciata: contrà opponitur id quod Gerſon reſpõdit iis qui fucare volebant quoſdam Iohannis Parui propoſitiones: *Intelligendam doctorum aſſumendam ex cauſis dicendi, combinando concluſionem cum præmiſſis, & præmiſſas cum probationibus ad inuicem. Cæterùm & ſi verum eſſet id quod allegatur de expoſcibilitate ad aliquem ſenſum verum, nihilominus propter caſus longè plures falſiſſimos & notoriè ſcandaloſos, redderẽtur condemnanda.* In ſumma cauendum ſedulò ne vita Regum & Principum ſicariorum arbitrio exponatur, ſubtilitatum quarundam prætextu ſcholæque argutiuncularum: & loca Marianæ nonniſi excuſationi & purgationi Rauaillaci inſeruire poſſe. Perperam itaque aiũt: *Optandum eſſe quodammodo vt Rauaillacus legiſſet Marianam,* huius Authoris ſiquidem lectio etiam in locis fauentiſſimis, nonniſi execrabile hoc monſtrum in damnabili propoſito erat obfirmatura.

FINIS.